

## † R. P. Michael Sheehan.

(Prov. Baltimor.).

Die 16 novembris 1858 natus est Bostoniae puer, qui inter filios S. Alphonsi praeclarissimos annumerari meriturus erat, Michael Sheehan. Pueritia eius docilitate et pietate elucebat.

Ipsa annum sextum agente mater mortua est. Cum Patres Redemptoristae foundationem Bostoniae anno 1871 instituisserunt, Michael statim ecclesiam eorum frequentare et Patrum amicitiam colere coepit. Mox in corde pii iuvenis ardens desiderium crevit rebus terrenis valedicendi et Redemptorem Divinum sequendi. Summum honorem esse iudicabat in opus missionum incumbere animasque maxime derelictas in amicitiam Dei restituere. Tandem curriculo in scholis primis expleto licentiam patris sui impetravit, ut iuvenatum Congregationis Ilchestriæ nuper fundatum intrare posset. Dolore affectus est pater iam sexagenarius, cum speraret

Michaelem, filium suum unicum, futurum esse baculum et consolationem suaे senectutis. Attamen fide triumphante pius vir licentiam dedit, et die 29 augusti anno 1874 Michael inter iuvenistas Congregationis SS. Redemptoris ascriptus est. Nec defuit praemium a Deo concessum fidei et fortitudini patris. Quamvis enim aegritudine et senectute confectus esset, inter vivos remansit, donec filium suum sacerdotem Altissimi consecratum vidit, et tunc paucos post menses e vita discessit.

Per totum cursum studiorum in iuvenatu exemplar omnium virtutum se praebuit Michael noster, ut saepe testatus est venerandus noster Procurator generalis, Pl. Rev. P. Josephus Schwarz, qui eo tempore munere directoris in iuvenatu fungebatur. Die 2 augusti anno 1880 Annapoli habitu Congregationis vestitus est Fr. Sheehan, et post ferventissimum ti-



rocinium eodem die anni sequentis vota sua nuncupavit. Expleto studiorum curriculo in collegio S. Clementis Ilchestriae die 25 martii 1886 ab Archiepiscopo (postea Cardinali) Gibbons sacerdotio auctus est.

Propter debilitatem corporis, qua tempore studiorum affligebatur, vacuū videbatur desiderium eius ardens, ut ad opus missionum designaretur. Deus autem, qui omnia potest, precibus sui sacerdotis zelantissimi aurem dedit propitiam. Paulo post ordinationem vires corporis P. Sheehan convaluerunt, et mense aprili 1887 primum ad laborem missionum aggressus est. In quo munere triginta quinque fere annos fructuosos transegit. Annis 1887-1889 collegio S. Alphonsi Neo-Eboraci ascriptus erat; 1889-1904 collegio Bostoniensi; 1904-1907 collegio S. Mariae apud North.East; 1907-1923 (uno anno sui rectoratus excepto) collegio Brooklyniensi.

In omnibus fere dioecesibus sectionis orientalis Statuum Foederatorum, nec non in pluribus dioecesibus Canadensisibus indefessus laboravit. Numerus exercitiorum, quibus per totum cursum vitae suae operam dedit, missionum, renovationum, secessuum religiosorum et clericorum plus quam 700 attigit. Praeterea in intervallis missionum relaxatione necessaria sese priuabat, ut confessiones exciperet, infirmos visitaret, parvulos in scholis nostris catechismum doceret, peccatores ad conversionem induceret. Saepissime parochi et episcopi P. Sheehan nominatim postulaverunt ad missiones in suis parochiis et dioecesibus habendas. Stylus eius contionandi spiritui S. Alphonsi et traditionibus Congregationis omnino conformis erat.

Quamquam experientia diuturna illum praedicatorem peritum reddiderat, praeparationem accuratissimam nunquam neglexit. Etiam ultimis vitae annis, si brevem homiliam in missa dominicali habiturus erat, illam diligenter scripsit et memoriae assidue commisit. Vox eius clara in maximis etiam ecclesiis facile audiebatur. Maxime commovebat auditores suos non quidem usu legum rhetoriarum, sed potius per unctionem et sinceritatem, quae in verbis eius elucebat. Saepe fideles, qui illum semel tantum praedicantem audierant, contionem eius sibi in animo haesisse confessi sunt.

Attamen, quamvis leo in pulpito, fuit idem agnus in tribunali paenitentiae. Corda durissima mulcebat eius benignitas et misericordia. In quādam missione homo quidam confessione peracta unum ex Patribus approxinans rogavit: «Pater, quisnam in isto confessionali sedet?». «Pater Sheehan», respondit ille, «qui heri praedicavit». «Quid», exclamavit homo, «heri repletus sum timore per verba praedicatoris, qui mihi asperrimus et severissimus videbatur. Per totam noctem dormire non potui cogitando de iustitia Dei. Nunc autem huic sacerdoti maxima et vilissima peccata confessus sum, et ipsum tam benignum et mansuetum inveni. Quam dissimilis est contionator confessori!». P. Sheehan peculiarem amorem fovebat erga paenitentes rudes et ignaros. «Debemus», dicebat,

« pro talibus peccatoribus verbis Domini orare, “Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt,,».

Neque multitudo laborum apostolicorum spiritum orationis et amorem regularis observantiae in P. Sheehan ullo modo diminuit. Omnibus actibus regula praescriptis religiosissime aderat. Regulæ etiam minima praecepta scrupulose observabat. Quotidie, etiam tempore infirmitatis, Viam Crucis peregit. Quotidie coronam Septem Dolorum B. V. M. recitavit, quam devotionem praesertim studentibus et novitiis saepe inculcavit ut medium perseverandi in sancta vocatione. Radix totius vitae eius erat fides viva et animata.

Nullatenus autem morosa aut aliis molesta erat eius pietas et devotio. Notissima erat hilaritas eius, etiam quando ipse magnis doloribus cruciabatur. Eo praesente maxima iucunditas in recreatione communi semper praevaluit. Attamen non obstante iocosity sua ne unum quidem verbum in alios iniuriosum umquam locutus est, ut testantur ii, qui eo familiarissime utebantur. Erga Patres iuniores praesertim caritas eius fraterna effusa erat. Eos sibi omnino aequales habuit, posthabitatis sua aetate et officiis in Congregatione gestis. Generosissime illis contiones suas scriptas commodabat, consiliis suis in opere missionum libenter eos adiuvabat.

Ab anno 1913 ad 1914, P. Sheehan munere consultoris provincialis functus est. Mense augusto 1914 nominatus est Rector collegii S. Alphonsi Neo-Eboraci, quo officio vero post primum annum se abdicare ob aegritudinem coactus est. Superiorem eum caritas praesertim distinguebat, et quamvis in seipsum severus usque ad scrupulositatem, erga alios summam mansuetudinem et lenitatem exercebat. Congregationem ut matrem diligebat, omnesque honores in se cumulatos ad illam revocavit.

Mense iulio a. 1919 una cum P. Eduardo Weigel, altero consultore provinciali, P. Sheehan Romam profectus est, ut res Congregationis tractaret. Romae duos fere menses commoratus est, quo tempore ad devote visitanda templa et alia loca urbis sanguine et pietate Sanctorum consecrata usus est. Praesertim gavisus est, quod beneficium audientiae privatae ad Papam Benedictum XV sibi concessum erat. In Americam revertens P. Sheehan confratres nostros in Gallia, Anglia et Hibernia invisit. Sed labores apostolicos potius quam itinera desiderans in patriam suam libenter rediit, quo mense decembri 1919 advenit. Paucos post dies operi missiōnum iterum se dedidit.

Anno 1922 senectute et aegritudine confectus P. Sheehan missionibus valedicere coactus est. Nihilominus zelo Domini accensus in parochia nostra Brooklynensi in confessionibus excipiendis, aegrotis visitandis, et quatenus infirmitates permittebant, contionibus habendis operam navavit. Mense augusto a. 1923 Bostoniam translatus est, ubi eosdem labores con-

tinuavit, et multitudine ac gravitate laborum patribus iunioribus et robustis etiam tum inferior non fuit.

Die 14 februarii huius anni 1925 mane moribundum quendam invicit, eique s. viaticum porrexit; per tres horas pomeridianas et duas vespertinas confessiones exceptit. Die sequenti (dominica) hora septima missam in ecclesia celebravit, et in sequenti missa una cum tribus aliis Patribus s. communionem fidelibus administravit. Post ientaculum SS. Sacramentum in sacello domestico, ut mos ei erat, breviter visitavit. Reversus vero ad cubiculum frigore subitaneo correptus cubitum ivit. Medicus celeriter accessitus declaravit ipsum pneumonia graviter aegrotare. Eodem die ad nosocomium sub cura Filiarum caritatis translatus est, ubi omnis sollicitudo ad vitam eius conservandam adhibita est.

Sed frustra. Die sequenti ingravescente morbo sacramenta morientium ei administrata sunt. Antequam s. viaticum recepit, ipse sponte vota sua religiosa renovavit et professus est se in omnibus voluntati divinae conformatum esse. Celeriter aucta est vis morbi. Mente alienatus semper de laboribus apostolicis locutus est, acsi confessiones exciperet, vel contionem haberet, vel peccatores ad vitam meliorem exhortaretur. Tandem die 22 februarii circa horam primam matutinam placidissime exspiravit.

Exsequiae P. Sheehan in ecclesia nostra Bostoniensi celebratae demonstraverunt, quanti illum fecissent tum sacerdotes tum laici. Episcopus Brooklyniensis cum plus centum sacerdotibus feretro adstiterunt. Tria circiter milia laicorum ecclesiam stipabant. Una erat omnium sententia: Sacerdos zelantissimus et religiosus devotissimus ad praemium vitae aeternae vocatus est. Apud multos memoria eius in benedictione erit.

Vere Deus exaltat humiles! P. Sheehan, qui vivus dignitates recusabat, mortuus honoribus quasi regiis cumulatus est. « Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi: ideo iure iurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam ». R. i. p.!